

QR. 171. 16



D I S P U T A T I O
D E

FEVDI IN PECVNIA CONSTITVTI
PECVNIAE ET QVANTI FEVDALIS
IN CREDITORVM CONFLICTV HABENDA
RATIONE SECUNDVM IVS
ELECTORALE SAXONICVM

Q V A M

P R A E S I D E

CAROL. GODOFREDO DE WINCKLER
FACVLT. IVRID. LIPS. ORDINARIO REL

PRO OBTINENDIS

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

DIE XL. OCTOBRIS A. CCCCCCLXXXVII

H. L. Q. C

D E F E N D E T

A V C T O R

IOANNES AVGUSTVS BECK

SENATOR DRESDENSIS IN ELECTORATV SAX. ET MARCH
LVS. INFER. ADVOC. IMMATR



O I S A T V 2 0 1 0

PROOEMIVM

Quod in omnibus paene artibus et doctrinis, quae hominum ingenia excent, obtinet, regulas et praecepta ex ipsa rerum et negotiorum natura effingi, non haec ex illis nasci, id procul dubio in iuris scientia est certissimum. Sicuti enim ars medendi naturam corporis humani sequitur, non hoc secundum medicorum praecepta effectum est, ita et homines prius in familias secesserunt, prius permutando res siue necessarias siue vtiles sibi compararunt, quam lex de statu familiae vlla aut de contractibus lata fuit.

Nulla vero iurisprudentiae pars magis hoc experiri videtur, quam ius clientelare, quippe quod aevo, quo orbem inuaserat barbaries, apud gentes, origine, moribus et domicilio longe diuersas, Longobardos atque maiores nostros, ex institutis, quae cultioribus et antiquioribus populis fuerant ignota, ortum, postea, quantum fieri potuit, in vnum conflatum, mutata vero funditus morum, rei militaris, immo imperii summi facie ac forma ipsum transfusum monstrum non absimilem imaginem exhibet, praesertim cum, deficien-
tibus legibus feudalibus etiam ad iura peregrina et antiqua,

immo ad *ius*, quod, ex definitione VLPIANI, *natura omnia animalia docuit*, sit confugiendum. Inde factum, quod huius iuris praecettore, qui id in formam artis reducere, atque principia generaliora stabilire laudabili opera conati sunt, distinctionum, exceptionum et limitationum finem vix inuenient, siquidem calceum pedi adaptandum, non hunc mutilatum calceo intrudendum intellexere. Nec mirum, viros praeclarissimos in multis non conuenire, hoc illam, illo hanc sententiam vtrimeque non absque rationibus propugnante.

§. I.

Feudi notio.

Feudum dicimus, quando quis rei dominium utile, reseruato dominio directo, alteri concedit sub pacto mutuae fidelitatis, quamquam appellatione feudi etiam rem ipsam, in qua feudum constituitur, nec non ius in hac re ex contractu et inuestitura natum innui constat. Res vero vocantur, quae eius sunt naturae, vt in bonis esse possint, vnde *rei appellatione et caussae et iura continentur l. 32. D. de V. S.* Hinc distinctio rerum corporalium atque incorporalium, quarum illae in dominio esse, possideri, tradi etc. hae quasi in dominio esse, possideri, tradi etc. dicuntur. Res igitur, quae eius sunt naturae, vt in iis locum habeat dominium directum et utile vel quasi, secundum regulam infeudari posse, non est dubitandum. Incorporales et iura hanc diuisionem non respunnt, quemadmodum optime docet b. c. L. STIEGLITZIVS

Diff.

Diss. de iure et actionibus feudi titulo concessis, §. 12. sq. ac etiam si ob deficiens verum dominium, nomine feudi improprii appellare velis, parum tamen refert, cum hoc solo, quod non circa rem corporalem versetur, excepto, per reliqua omnia natura et conditio feudi proprii appareat; unde ne quidem feudo pecuniae feudi proprii nomen denegandum esse, ut infra apparebit, contendunt HORNIVS in *Iurisprud. feud. Longob. Teut. C. IV.* §. 21. et FRANKENSTEIN in *Diss. de feudo in pecunia constituto*.

§. II.

Feudum in pecunia constitutum, pecunia feudalis, quantum feudale.

Feudum pecuniae sive in pecunia constitutum, vernacula lingua *Geldlehn, Lehnsbaarschaft*, de quo Ser. Elect. Aug. C. XXX. P. III. agit, nobis est feudum, quod efficitur, quando quis reseruato dominio directo, dominium vtile certae pecuniae summae in alium transfert eumque investit ea lege, ut is, eiusque descendentes omnesque inuestitura comprehensi, eorumque posteri, feudi capaces, hoc dominio gaudeant sub pacto mutuae fidelitatis. Haec inuestitura est vera nota et causa feudi. Oblatio enim, cuius in Mandato Ser. Princ. Elect. Saxonie de anno MDCCLXIV. Tit. I. §. 14. iniecta mentio, non adeo necessaria est, ut absque ea feendum pecuniae constitui nequeat, verum nonnisi exempli loco allegata esse videtur. Cf. MOLLER ad C. 30. P. III. n. 6. Quid enim impedit Seniorem, feendum, quod dicimus, efficere, et

ex mera liberalitate absque oblatione dominium utile pecuniae, cuius ipse habebat dominium plenum, in vasallum transferre? Aliquot eiusmodi exempla attulit V. Cel. RÜTTMANUS *Progr. de eo, quod inter feud. pecuniarium, pecuniam feud. etc. interest, A. 1781.* nec non SCHVLZE *Versuch vom Lehnftamme im Conc. Cred. in Sachsen in appendice;* atque communis est opinio, eiusmodi feuda pecuniae in Saxonia in primis sub ducibus Augusto et Christiano I. frequentia fuisse, cum diuitiae minarum ipsam pecuniam frequentiorem facerent, SCHVLZE *libello citato.*

Feudum pecuniae imitatur pecunia feudalism, *Lehnftamm*, seu summa definita pecuniae, quam vasillus pro parte praedii feudalism, huc usque communis, ad se deuoluta, sibi pactus est ab eo, cui integrum feudum habere concedit, tanquam pretium, quod quamvis ex regula parata pecunia accipere deberet, nihilominus coheredi aut co-vasallo credit, atque retinere permittit, reseruata sibi praedii simultanea inuestitura, et per hanc eius condonatio nec non ~~eventuali~~ successione feudali in hanc summam, sub pacto percipiendarum interea usurarum.

Quantum feudale vero, *Lehnquantum* appellamus summam pecuniae, quae absque habita ratione valoris fundi feudalism simultaneae inuestitis destinatur ideo, ut possessor vasillus possit libere de fundo disponere, nec cogatur coinvestitis plus quam hanc summam saluam relinquere; cf. ARNOLDI *Disp. de pecunia in feudo constituta* §. 3. sq. praeside ill. GEISLERO hab.

Has



Has definitiones res ipsa suppeditare videtur. Attamen multum ab his et inter se differre vsum fori et Ictos, non negandum. Plerumque autem, quod diximus feudum pecuniae, Germanice *Lehnftamm* nuncupatur, vti obseruare licet in loco citato Mand. feud. d. a. MDCCCLXIV. Contra, quam appellauimus pecuniam feudalem, saepe a quanto feudali non distingui sed communi nomine *Lehnsquantum* vocari, inuenimus. Sed quia diuersa negotia celebrantur, censuram arbitriae definitionis incurrere malumus, quam hancce dimittere; inprimis cum et alii iuris interpretes eam comprobent, inter quos est I. G. SIEGEL *Diss. de divisione feudi succ. feud. simult. inuestitorum n. restringente* §. 10. [Ceterum haud pauci sunt, qui harum pecuniarum duo tantum genera faciunt, atque primum etiam *Lehnftamm* vocant, id quod et interdum in ipsis legibus sit, v. g. in lege Sax. feudali de a. 1764. tit. I. §. 14.]

§. III.

De feudo pecuniae. Pecuniae notio.

Pecuniae nomine latius accepto non solum numerata pecunia sed omnes res, tam soli, quam mobiles, atque tam corpora, quam iura continentur. L. 178. 222. D. de V. S. Sensu vero strictiori modo corpora numimorum, l. 7. §. 3. *D. ad Sct. Maced.* remque fungibilem, l. 1. §. 2. l. 3. *de reb. cred.* modo quantitatem seu formam, modo rem incorporealem denotat pecuniae vocabulum. Est vero eiusmodi significatio hic substruenda, quae admittit,

nisi

nisi verum, attamen quasi dominium directum et utile. Istud vero non melius dispiciemus, quam si modos, quibus pecuniae feudum constitui plerique iuris clientelaris doctores statuant, recenseamus.

§. IV.

Quibus modis efficiatur feudum pecuniae.

Aut I. pecunia apud ipsum feudi dominum est, atque is iure feudi alteri certum soluit redditum; vel II. ex ea pecunia, tertio cuidam credita, quis iure feudi redditum percipit; vel III. ipse, cui feendum in pecunia constituitur, pecuniam tenet; G. A. STRVII Syntagma Iur. feud. C. IV. Aph. II. HORN. *Iurispr. feud. C. IV. §. 22.* B. G. STRVVIVS in Elem. I. F. c. 5. §. 2. NAEVIVS *Lehnrecht c. 4. §. 5.* Ill. G. L. BOEHMER *princ. iur. feud. §. 78. ac alii.*

§. V.

Feudum pecuniae in ipsa pecunia numerata haud constituitur.

Quodsi ad I. dominus retinet pecuniam, cogitari quidem potest dominium directum in nummis ipsis, quibus investit clientem, si dominus eos area inclusos tenet, nec unquam expendit. Ast vasallus in ipsis ipsis nummis nunquam habebit dominium utile. Quamuis enim accipiat usuras, quae instar dominii utilis illi sint, tamen ipsis nummi, quos tenet Senior, tunc usuras non producunt, sed hic aliunde eas solvere cogitur, nisi forte diminuere velit. Si vero ponimus, clien-

clientem esse quasi dominum vtilem eius quantitatis, cuius species dominus directus tenet, hunc vero esse vasallo debitoris loco, omnia salua sunt. Quod si ad II. feudum in ipsis nummorum speciebus concipiatur, tunc, exsoluta tertio pecunia, nullum directum dominium cogitari potest. Etenim nummi intercedente mutuo soluti, fiunt debitoris, qui eos, uti placet, expendit. Vasallus aequa ac priori specie nullum nummorum dominium vtile consequitur.

Si ad III. feudum in pecunia signata efficeretur, nulla remaneret ne vmbra quidem dominii directi, simulac nummos acceperit vasallus, etiam si cautionem praefiterit: Dominium vtile vero a vasallo, qui pecuniam acceptam denuo exsoluit, plane secederet et feudum ipsum extingueretur. Similem sententiam HORNIVS I. Feud. c. 4. §. 22. profiteri videtur, haustam ex SCHILTERO, dum, pecuniam in singulis tribus speciebus non tam ut rem corporalem, sed potius tanquam incorporalem, et ius aliquod circa eam pecuniam considerari putat; et clarius adhuc nobiscum sentit laudatus STIEGLITZIUS I. c. §. 23. cuius verba apponere placet: *Cum certa pecuniae summa in feudum datur, non illis ipsis nummis feudum inest, propterea, quod in reddendo feudo non idem nummi, qui accepti sunt, sed ius illud pecuniae utendae fruenda et de ea disponendi in feudo venit; qua in re sequi videtur* Ill. BOEHMERVM princ. iur. F. §. 78. cf. ARNOLDI Diff. cit. §. 2. et SCHILTER ad Struv. c. 4. §. 2. et exc. I. A. THEOPH. KIND; Diff. de feudo pecuniario, sub Ill. CLEEMANNI praesidio habita, §. I.

B

§. VI.

§. VI.

Feudum pecuniae versatur circa quantitatem.

Vidimus ex his, in pecunia tanquam re corporali feudum esse non posse, inde, ut in quantitate consistat feudum pecuniae, si quod est, sequitur. Quantitas vero est notio abstracta, quae per se pro re in sensu iuris haberi nequit, nisi ponas personam, quae res corporales ipsas quantitate definitas possideat, seu ius habeat, quantitatem eam aliunde exigendi. Istud ius vero nisi praeterea aliquam utilitatem praestet, obiectum quasi dominii utilis esse nequit. Sin autem quantitas rerum corporalium bonis meis additur aut continetur, ita ut illis vti et abuti possim alias comparando, aut si pro quantitate debita rerum, quarum vsu ipse careo, emolumenta quaedam percipio, tunc in ista quantitate quasi dominium utile erit.

§. VII.

Finis dominii directi atque utilis in pecuniae feudo.

Quae de dominii diuisione in feudo in genere obtinent, ea ad pecuniae feudum applicari posse, dubio caret. Hinc dominium utile in hoc feudo complectitur facultatem, commodum quod possis maximum, dummodo licitum, inde percipiendi ea lege, ne quantitas ipsa minuatur, aut periculum subeat, si verbi causa absque securitate credatur illi, cuius opes facile euancescere possent. De reliquo dominium hocce est pleno proximum, temporarium et respectu tertii parum differt

differt a dominio pleno. Directum vero continet ius et spem, post defectum omnium eorum, quibus successio competit in pecunia, ea potiundi, et usque dum hoc contingat, inspiciendi prohibendique, ne factis vasalli aut aliorum haec spes atque hoc ius interuertatur. Sic curam habebit dominus, ut creditae siue etiam translatae a praedio in aliud pecuniae securitas adsit hypotheca constituta; HORNIVS *Iurisp. feud.* c. 4. §. 22.

§. VIII.

Cautio utrum omnino necessaria?

Cum obligatio personalis, quae iuri, quantitatem exigendi respondeat, adeo sit fragilis, ut attritis opibus eius, qui debet, ipsum ius periculum incurrat et interitus feudi metuendus sit, haud facile huiusmodi feudum constituitur absque cautione, tantundem aliquando exsolutum iri, quantum debeatur. In domino directo quidem, cui ius est aerarium publicum assignandi, quod semper censetur diues, l. 2. §. de fund. dot. ac pro re immobili habetur, hanc cautionem non esse de necessitate statuunt. At si a tertio vel a vasallo fuscipiatur sors, eiusmodi cautio omnino suadenda. Quod vero ad exemplum quasi ususfructus pertineat cautio ad ea, sine quibus feudum pecuniae concepi nequeat, quamuis ea sententia praeter alios sit magni G. L. BOEHMERI *princ. iur. feud.* §. 52. et 78. ac laudati STIEGLITZII l. c. §. 15. nec non KINDII *Diff. laud.* §. 7. sq. haud mihi persuadeo, cum ius feudale ex

B 2

Ro-

Romano explicare, non fas sit. [Etenim pertinet quidem auctore HORNIO l. c. ad dominium directum, ac forte etiam ad utile, cautionem, si velit exigere de pecuniae, in feudum datus securitate, adeoque de perpetuitate feudi. At vero quando uterque tacite consentiat de tollendo contractu feudi, alter consumendo, alter patiendo, non video, quis sit, qui prohibere possit?] Nec magis ad stipulari possum iis, qui nescie esse putant, ut ius in feudum datum rei immobili inhaereat. Hypotheca enim ob sortem debitam constituta adhaeret obligationi et iuri de sorte, minime vero haec illi. Existincta hypotheca non soluitur ius sortem exigendi, hoc vero cessante corruit hypotheca. Quando autem II. F. 1. dicitur, *feudum non nisi in rebus soli aut solo cohaerentibus aut in iis, quae inter immobilia connumerantur, posse confitere*, his verbis mobiles res excludi, de incorporalibus vero et iuribus non cogitari, in aprico est. Pignoribus vero idoneis v. c. geminis, a reis vasis datis securitas nominis aequa praestari potest ac hypotheca rei immobilis. Ceterum feudum in pecunia constitutum cum HORNIO c. 4. §. 21. DAEGENERO vom *Lehnflamme*, ac MOELLERO de usu practico distinſt. feud. c. 4. difſt. 10. inter propria referendum esse arbitror, imprimis, postquam a. 1756. summus GVTSCHEMIDIUS rei clientelari addictos docuit: *feudum omnia re dubia iure priorum esse censenda.*

§. IX.

§. IX.

De feudi pecuniae in concursu creditorum habenda ratione.

Dictum supra, aut a domino aut a tertio aut denique a vasallo suscipi pecuniam in feudum conuersam. Quodsi igitur specie I. dominus quantitatis debitorem se constitutat vasallo et deinde creditorum concursui obnoxius sit, (explosa est enim sententia eorum, qui superioritatem territorialem ad dominium directum in hoc feudi genere requirunt, *KIND Diff. cit. §. 11. Ill. BOEHMER princ. iur. feud. §. 78.*) quaeritur, num vasallus petere et iam possit ipsam sortem? Res haud sine dubitatione esse videtur, cum imparitas soluendo, domino directo contingens, nuspian ab interpretibus inter modos consolidationis referatur, quibus transeat dominium directum ad vasallum. At nihilominus, exerto domini directi concursu creditorum, pecuniam feudo oneratam, quam ipse adhuc possederat, siue sub pignore, siue absque eo, domino utili exsoluendam esse, probabiliter defendi potest. Etenim, cum concursui creditorum ea vis sit et effectus, ut quicquid obaeratus debeat, id per hoc iudicium vniuersale ex bonis ipsius exsoluendum sit, consequens est, nec illam pecuniam feudalem, cuius ipsi nullum est dominium plenum, apud eum remanere posse, praesertim, cum nunc omnibus bonis exutus atque nulla in eo securitas sit. Iam vero cum nulli alii ius quoddam sit circa istam pecuniam, solo domino utili excepto, necessario efficietur, pariter nemini alii facultatem esse, eam ex massa concursus petendi. Neque metuenda est

consolidatio vtriusque dominii in vasallo, aut iactura dominii directi quoad debitorem communem, quod, vt supra vidi-
mus, non tam ipsis numinis inhaeret, quam iure quodam
circa eam exercendo continetur, adeoque vt ipsis auferatur,
nulla ratio adest. Manet itaque dominus directus, si in vi-
vis est, et omnis mutatio eo tantum consistit, vt ex feudo
pecuniae primi modi, *vid. supra* §. 4. fiat tale tertii generis,
quo casu a vasallo cautionem postulari posse, non dubita-
mus. Sin ille mortuus, habuit dominium directum vel iure
allodiali vel feudalii, hoc est eo inuestitus ab alio superio-
re, ad quem nunc immediate deuoluetur; in ista vero specie
pertinebit ad heredem, aut, quando talis obaerato deest, au-
ctore HORNIO L. c. cap. 22. §. 2. ad fiscum, quem tamen ex-
cludit FOERSTER vom Lehnstatte, cap. 8. §. 3. Vno tantum-
modo casu, nempe si et fiscus detrectet, videtur nobis ap-
propriatio nasci, et pecunia allodialis fieri, quia, vbi nullus
est dominus directus, ibi nullum esse potest feudum, nullus
contractus feudalnis, nulla fidelitas. Nisi dicere malis, ex
officio quaerendum esse nouum dominum directum, quem
vasallus inuitus agnoscat.

Si roges, in quanam classe, eiusmodi pecunia, in qua
feudum constitutum est, locanda sit? facilis erit responso,
scilicet: si pignore munita, inter hypothecarios, sin minus,
inter chirographarios creditores. Etenim quamuis videri pos-
sit, classem primam ipsis esse assignandam tanquam rei alienae,
aut,

aut, quae non minori iure censenda sit ac pecunia feudalis,
der Lehnftamm, quam ipse Praeses in Annotatione VII. aduersar.
iur. iud. p. 11. ostendit, iure separationis ex lege iudicaria no-
valtit. XL. §. 3. peti posse. Sed hic solummodo agitur de
eiusmodi pecunia, quae ex ipso feudo a simultanei inuestitis
tanquam condominis postulatur. At vero in nostra specie, ut ta-
ceamus, nec debitorem communem nec clientem plenum
dominium allegare posse, in primis considerandum est, pe-
cuniariam petitam neque praesentibus nummis extare, neque
pro particula feudi censeri posse, prout illa, quae in simulta-
nei inuestitis tenet huius vicem.]

Quodsi itaque verum est, eam de qua nos agimus, non
nisi aut inter creditores hypothecarios aut adeo chirographa-
rios locari, fieri potest, ut, massa haud sufficiente, dominus
utilis ipsam pecuniam, in qua olim feudum constitutum erat,
vel non integrum, vel plane non, accipiat. Quid igitur tunc
fiet? Sine dubio, ea diminuta feudum diminuetur, nihilo
autem soluto, dicendum erit, ipsum feudum periisse, nec
amplius extare; fere ut feudum de camera volente domino
ac vasallo interit; *I. Feud. Alemann. c. 102.*

§. X.

Quod ad concursum in II. feudi pecuniarii specie at-
net, vbi quantitas tertio cuidam concredita est, videri qui-
dem possit, eam iure vindicationis collocandam esse pro-
pterea,

pterea, quia proprietas huius feudi est penes dominum directum ac vasallum, ipsaque adeo pecunia intuitu debitoris communis aliena. At quoniam debitor nummos non alio nomine quam ex mutuo accepit, quod ipsum dominum effecit, allodium scilicet intuitu pecuniae, ipse non nisi debitor quantitatis, non speciei, considerandus venit; nec eius curae est, quicquid circa istam inter eos, qui crediderunt, pacto feudali vel alio conuentum sit. Locabitur itaque, si ut plerumque fit, hypothecae securitatem habet, secundum hanc, si minus, inter chirographarios. Ad petitionem et dominus directus et vasallus praeprimis vero ille admittendus videtur. Eius enim inter reliqua esse dicunt, pecuniam, cui feudum inhaeret, tertio creditam exigere, HORN. *L. c. cap. 4. §. 23.* Sed hodie id rarius fit, potius magis receptum est, ut vasallus petat, cui hoc ius, in primis haud contradicente domino directo, denegari nequit, quod etiam SCHVLZIVS *L. c. §. 14.* tunc admittit, quando consentiente domino et coinuestito fiat. At vero, hoc vindicationis ac separationis iure fieri, vix concedere possumus, cum non nisi condictio pecuniae, olim creditae, adsit.

§. XI.

Specie III. quando clientis ipsius, qui pecuniam suscepit, bona secantur, singulare quid occurere videtur. Cum enim vasallo eiusque progenie superstibus ius nondum natum sit coinuestitis, si qui adsunt, multoque minus seniori, domi-

dominio vtili fortis potiundi, repellendos esse existimes eos a iudicio vniuersali. At quoniam vasallus obaeratus ciuititer mori ac bonis carere censetur, coinuestiti vel senior ob quasi condominium et futuram successionem, vt summa pecuniae infeudata a bonis debitoris eximatur, eadem forte present ratione, qua vxor constante matrimonio, marito obae- rato, dote in repetit, quamuis vsumfructum, 'deductis ali- mentis massae concursus relinquere teneatur. Quoniam ve- ro pecunia a vasallo olim suscepta bonis eius intermixta est, et inter haec ita quasi fluctuat, vt a reliquis secerni nequeat, coinuestiti vel dominus directus nummorum corpora, quae vindicent, nullo modo indicare poserunt.

Quam ob caussam in hac specie similis quantitatis quam olim acceperant, separationem actione personali exigent, sal- va hypothecaria, si fundus iure pignoris obligatus sit. Quan- titatis enim alicuius debitae in regula nullum est dominium verum, ergo etiam nulla proprie vindicatio. Sic mulier, orta in bonis mariti creditorum concursu res dotales tan- tummodo eas quae exstant vindicat iure dominii, *i. 30. C. de iure dot.* earum quae non exstant pretium, seu nummo- rum consumitorum quantitatem non aequa. Horum enim intuitu hypothecam tacitam leges ei indulserunt. Sic spe- ciei legatae dominium statim in legatarium transit eaque rei vindicatione petitur, legata quantitas vero iure communi aut actione personali ex testamento, aut hypothecaria perse-

C

quen-

quenda; cuius in locum ius Electorale Saxonicum expressum constitui iubet. Hypothecam vero tacitam pecuniae feudo non concesserunt leges nostrae. Nec tamen negandum, ea, quae *Ord. Sax. Tit. XLII. §. 1.* et lege iudicaria repetitae preelectionis ad *Tit. eund. princ.* de separatione rerum alienarum in concursu sancta ad pecuniam in feudum versam Collegiorum et Dicasteriorum sententia applicari cfr. illustr. Praesidis adnotat. VII. supra allegatam.

§. XII.

Continuatio.

Fac vero, vasallum bonis labi in specie II. Tunc, quoniam in feudo pecuniario ius continetur sortem exigendi alibi positam, id quod, ut supra attigimus, in primis ad dominum directum pertinet, et quia non minus coinvestitorum interest, ne vasillus obaeratus, exacta a tertio pecunia abutatur, sine dubio simultaneo inuestiti et senior iure petent, ut istud ius tanquam feudum a massa vasalli separetur, nec fors ipsa vasallo numeretur, quamvis usurae viuo eo eiusque descendantibus massae concursus cedant.

§. XIII.

Pecuniae feudalis natura.

Pecuniae feudalis definitionem supra exhibuimus. Exulat in ea ipsa domini inuestitura, ideoque non est feudum. Attamen pacta contrahentes obligant, et paciscentium

here-



heredes antecessorum promissa seruare coguntur, C. XXX.
P. III. Videamus, quid in hoc negotio actum sit. A. fratri B. fundi [feudalis], ad vtrumque successione delati, portionem suam ex parte, i. e. possessionem et ius vtendi fruendi, dum viuat B. eiusque descendentes feudales, cedit pro pretio congruo. Eam vero dominii partem, quae in iure imediendi alienationem, onus hypothecae, seruitutem, etc. nec non in futura successione consistit, sibi referuauit per simultaneam inuestituram, in quam se recipi curauit, dummodo haec facta fuerit pure et simpliciter.

Emtionem venditionem hic celebratam esse, quis negaverit? Adeſt res, possessio scilicet et vſus clientelae ad vitam vasalli eiusque posteritatis perduratura. Adeſt pretium atque consensus. Periculum et commodum rei venditae, nempe possessionis et vſus ad emtorem transit, et si vel maxime casu et calamitate deterior factus fuerit fundus, eiusque valor ad duas tertias decreuerit, non ideo summae partem tertiam remittet vendor, nec fructibus sterilitate interceptis vſurarum pro pretio nondum exsoluto debitaram praefatio poterit denegari. Quandiu hoc pretium non exsolutum, nec in feudum oblatum, nec feudum inde comparatum, vasallo non minus ius erit vi pacti succedendi in hac pecunia ac coinuestito in praedio, prout vniuers alterue aut eius progenies prius defecerit.

§. XIV.

Pecunia feudalis imitatur feendum pecuniae.

Pecunia feudalis ita constituta pacto feudi pecuniae et quidem speciei II. supra expositae similitudinem exhibit, nisi quod dominus directus desit. Etenim A. pro domino vtili, contra B. pro coinuestito habentur. At negotium ipsum et nexus feudalis in praedio feudali non cohaerent. Poterit B. exsoluere pecuniam A. isque aut alii mutuo dare, aut donec in feendum verum vertatur, ipse retinere, quo facto erit negotium speciei III. simile.

§. XV.

Pecuniae feudalis in creditorum concursu ratio.

Iam finge, B. a creditoribus vrgeri, iudicium vniuersale constitui et ad subhaftationem beneficij perueniri. Non est dubitandum, quin A. ob simultaneam inuestituram simpliciter et absque restrictione seruatam, eo iure vtatur, quod co-inuestitis largitur *O. R. ad Tit. XL. §. 3.* scilicet ut residuum pretii, deductis debitibus in feendum offeratur aut feudo impendatur, et in eo A. communis praestetur manus. Nec obest, quod ab hoc beneficio arceri videantur coinuestiti, qui pecuniam seu quantum feudale sibi pacti sunt. Nam haec non de pecunia feudali, de qua iam agimus, sed de eo, quod quantum feudale appellamus, quodque pro dispositione libera de praedio est definitum, intelligenda esse,

verba

verba innuunt: *Auf diejenigen, darüber den Besitzern frey zu disponiren, und solche zu veräußern, nach Inhalt der Lehn Briefe nachgelassen, ingleichen da vermöge verhandelter Paetorum oder Reverse — denen Mitbelehnten nur ein gewisser Lehnstamm oder auch nur ein Lehn quantum ausgesetzt ist, nicht zu erstrecken.*

Praesenti vero specie, vbi libera dispositio de beneficio non concessa vasallo a simultaneo inuestitis, hi non tantum communem manum in pretii residuo, sed etiam pretium illud pro portione feudali sibi olim delata et vendita pactum merito exigunt. Sed hoc posterius quonam iure? Procul dubio mere personali ex pacto, nisi hypotheca expressa sibi prospexerint in praedio constituta.

§. XVI.

Quantum feudale.

Quod nominamus quantum feudale itidem pacto efficitur variis modis. Aut enim diuidentes feuda deuoluta sese invicem in communem recipiunt manum, liberam tamen de feudis istis disponendi facultatem sibi usque ad certam sumam pecuniae permittunt et seruant, aut aliquis in feudo nouo a coiuictis, quos praeſentauit, sibi hoc stipulatur. Idque iterum variis conditionibus efficitur. Aut enim haec summa statim exsoluenda venit, alienatione facta, aut nonnisi vasallo eiusque posteris exsinctis ad coiuictitam est transiatura. Nec si alienatio ante deuolutam successionem secuta

haud

haud fuerit, successio in ipso fundo omnino ademta est simultanea inuestitis, quamuis ut devoluto ad eos feudo, successione, in gratiam aliorum v. c. successorum allodialium ultimi vasalli, pro quanto feudalii, abstineant, pacto conueniri possit.

§. XVII.

Quid quanto feudali constituto actum sit?

Simul inuestiti versantur in condominio vtili feudi, licet inaequali. Ius enim possessionis et ususfructus solum penes vasallum est, sed ius alienandi, onerandi, vindicandi, quod nonnisi consentientibus coinuestitis fuscipere possunt, cum his quodammodo commune dici potest, at ratione simultanea inuestitorum ante successionem iis delatam veluti quiescit, ita ut alienationem impedire quidem nequeant, at-tamen existente successionis casu iure reuocandi polleant. Quibus positis, patet, loco *Mand. feud. Tit. VI. §. 4.* vbi venditionem feudi absque consensu coinuestiti non procedere, stabilitum, ius ipsum vasalli in alienando non improbari, sed dominum tantum ad praescindendam futuram reuocacionem consensum in alienationem denegare.

Pacto, quo simul inuestitus liberam de feudo disponendi facultatem reseruato quanto feudali permittit, absque dubio se se abdicat ratione vasalli omnibus effectibus condomini, adeo ut vasallus agere possit, tanquam si nullus ei extisset dominus.

Pro



Pro hoc iure, cui renunciat coinuestitus, stipulatur summam certam definitam, rem incorpoream nec homogeneam praedio in cuius alienationem consensit. Huius summae tanquam pretii vasallus debitor euadit conditionibus pacto expressis, plerumque haud prius quam casu existente. De qua re differuit Praeses adnotatione supra nominata.

§. XVIII.

Obiectio remouetur.

At dici posset, non plane ac pure condominium integrum beneficii exuere simul inuestitum, qui quantum feudale sibi est pactus, sed sibi reseruasse istud condominium in parte feudi, quam hoc quantum exhibit. Cliens ergo, qui integrum feudum alienauit, pacti fines videtur transgressus esse, dum plus alienauit, ac debuit, scilicet integrum praedium, nulla quanti reseruati habita ratione. Concedo, si natura beneficii permittat diuisionem corporalem, ita ut partem ipsius praedii v. c. molendinum sibi reseruet coinuestitus, cuius alienandi non transferat facultatem in clientem, quodque si integrum praedium fuerit alienatum, reseruans iure dominii et vindicationis, successione ad eum delata petet. Sed de eo hic non agitur, verum, si dicas, per eiusmodi quantum feudale reseruatum, remansisse aliquam ipsius beneficii partem, verba fallunt. Quid enim est rem alienare usque ad certainam summam? Nonne idem, ac si v. g. dicas:

trans-



transfero dominium aedium mearum in Caium usque ad summam sex equorum, quorum dominium mihi reseruo? Nonne, quando non adsunt, factio Caii opus est, ut sex equi comparentur, atque in his comparatis tibi non competit dominium, sed ius tantum eos, aut alios idoneos a Caio exigendi. Aut igitur tali conuentione inita translatio domini rei per se indiuiduae est absolute valida aut omnino nulla.

§. XIX.

Vasallus possessor, quanto feudali constituto, libere et sibi alienat.

Iure antiquo, vasallo licite, hoc est, cum consensu domini, inuitis tamen agnatis vel simul inuestitis, alienante, his tantummodo concessum erat tum, vel ius protimiseos, nondum perfecto contractu, vel celebrata venditione intra annum, retractus, vi cuius offerendo idem pretium, quod extraneus soluit, feudum recuperabant, tum denique ius revocandi feudum absque pretii solutione, succeßione aliquando ad eos deuoluta, *Conſt. El. Sax. 48. et 49. P. II.* Quod quamvis mutatum per *Mand. feud. Tit. VI. §. 4.* ubi alienatio inuitis simul inuestitis omnino prohibetur, at permittitur, si hi consentiant aut litteris reuersalibus vel pactis iam antea alienationem adprobauerint, tamen melior non poterit esse conditio simul inuestitorum, qui iuri futuro retractus et revocationis renunciarunt, quam olim erat eorum, qui con-

fen-

sensum denegauerant. Hinc in alienationem consentientibus multo minus ius competit, partem pretii ab emtore futuro petendi, cum possessor, libertate iam plena donatus, disponendi solus arbiter omni iure sit censendum.

Etiamsi ergo simul inuestiti sibi pacti sint quantum feudale a possessore, attamen hoc alienante ea res tanquam inter alios gesta emtorem non tangit; itaque ab eo simul inuestiti frustra petent quantum feudale, nisi cliens expresse partem pretii soluendi eiusdem quantitatis ex emtione venditione cesserit illis, quod vtique nequit in ipso pacto, venditionem praecedente, fieri, siquidem pretium ante celebratam emtione venditionem nullum adhuc existit. In arbitrio ergo, nisi conuentio obfit, erit vasalli, qui pretium recepit beneficii, vtrum ex hoc, tanquam pecunia ex feudo vendito redacta, an ex alia allodiali pecunia quantum feudale velit numerare coinuestitis, aut iis, pro modo pacti, oblata hac summa in feudum, communem manum praestare.

§. XX.

Quanti feudalis in concursu creditorum, quae habenda ratio.

Quae de alienatione beneficii voluntaria prolata sunt, iam ad necessariam per subhaftationem, qualis in creditorum concursu obuenit, applicemus, id quod non minus iam fecit Praeses *prolusione saepe allegata p. 9. sq.* Pretium, quod distracto feudo soluitur omni iure cendum in bonis de-

D

bito-

bitoris communis, et inde soluuntur debita feudalia rite contracta et hypotheca, quam leges probant, confirmata. Olim quidem residuum pretii pro beneficio distracto soluti creditoribus etiam allodialibus erat obnoxium, seruato utique iure simultaneo inuestitorum de feudo, successione iis delata. *Ord. Sax. Vet. Tit. XLV. §. 10.* Nouiori iure autem cum coinuestitis, qui alienationem clientelae non adprobarent, per subhaftationem auferatur ius retrahendi et reuocandi, in eorum solatium *Ord. Rec. ad Tit. XL. §. 3.* sanxit, ut pretium feudi, deductis debitis feudalibus, in feudum offeratur aut feudo impendatur, iisque communis manus praestetur. Haec dispositio singularis, quae iis, qui pure coninuestiti proprie condominium feudi retinere debuissent, succurrit, non ad eos proferenda, qui intercedente pacto, conditionibus quibuslibet inito, consensum in futuram alienationem praebuerunt, iuri retrahendi et reuocandi renunciarunt, et fidem vasalli sunt secuti. Nec illis ius praecipuum competit in fundi iam alienati pretio, qua tali, quod tanquam res singularis debitoris non est obnoxium ius personale persequentibus. Nec dicas, pactum inuoluere conditionem, ut alienatio non aliter valeat, nisi coinuestitis satisfactum fuerit de quanto feudali. Nam simulac hi summam pacto in venditionis euentum conuentam expetunt, ipsam alienationem, cuius cauſa quantum est constitutum, agnoscunt.

Quae

Quae cum per se ex natura rei et verbis loci allegati Ord. Rec. profluere videntur, tum minus adhuc dubitatio-
nis relinquunt, quae ad *Tit. XLV.* §. 6. sunt disposita, vbi
omnino denegatur simul inuestitis ob quantum feudale *ius
reale*, nisi expressa hypotheca sibi prospexerint. Hoc iure
reali non aliud, quam *ius dominii* et separationis indigitari,
hoc euincit, quod nunquam de hypotheca aliqua tacita ob
quantum feudale est cogitatum. Sibi ergo imputent coin-
vestiti, qui hoc legislatoris consilium neglexerunt, si chiro-
grapharios inter collocantur. Hypotheca vero constituta
praefens condominium beneficij statim quidem euanescit,
quia res nemiri sua pignori esse potest *I. 45. D. de R. I.* et re-
ducitur ad solam successionem futuram eamque adhuc incer-
tam. Quid vero de hoc condominium, si demas possessionem,
vsumfructum, *ius alienandi atque vindicandi*, supereft, nisi
nomen inane?

Et hanc quidem sententiam Summo Prouocationum Se-
natui probari pluribus praeiudiciis confirmandi copia esset,
modo, ne libelli huius academicci fines transgrederer, non
metuendum foret.

§. XXI.

Potius haec sunt, quae ego, vt dignitate Doctoris in-
augurer, Lectori Beneuolo, inculta quidem, atque parum
disposita offero, laborum copia otioque inopia pressus, ve-

D 2

niam

niam petens ac sperans. Secutus sum naturam rei, principia a plerisque adoptata et leges, quae exstant. Inde nemo me arrogantiae arguet, sicubi in hac materia, tricis utique impedita, plurimorum a virorum maximi nominis et famae opinione recedat mea qualiscunque sententia.

Pag. IV. lin. 16. leg. *confiter* pro *constat*.

Ve
1647

DISPV TATIO

D E

FEVDI IN PECVNIA CONSTITVTI
PECVNIAE ET QVANTI FEVDALIS
IN CREDITORVM CONFLICTV HABENDA
RATIONE SECUNDVM IVS
ELECTORALE SAXONICVM

Q V A M

P R A E S I D E

CAROL. GODOFREDO DE WINCKLER
FACVLT. IVRID. LIPS. ORDINARIO REL

PRO OBTINENDIS

S V M M I S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R I B V S

DIE XI. OCTOBRIS A. C I D I C C L X X X V I I

H. L. Q. C

D E F E N D E T

A V C T O R

I O A N N E S A V G V S T V S B E C K

S E N A T O R D R E S D E N S I S I N E L E C T O R A T V S A X . E T M A R C H
L V S . I N F E R . A D V O C . I M M A T R

